



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd omnes fideles in Ecclesia nihil agere debeant, nisi orare. ccxxxiiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

Vt episcopus aut presbyter postquam Missam inceperit, & orationem dixerit, nisi passio aliqua interuenierit, antequam inceptum ministerium adimpleat, ab altario Dei nullo modo discedere audeat. Cap. CCXXX.

Ex decr. Zacharie papae cap. 14. **V**T episcopus aut presbyter, dum ingressus fuerit Missarum solennia celebranda, nisi passio aliqua interuenierit, nullo modo audeat data oratione recedere ab alio episcopo, aut presbytero suppleantur Missarum solennia, sed qui initium ponit, suppleat usque ad finem. Quod scriptum est: Qui perseverauerit usque in finem, hic saluus erit. Si quis vero presumpserit preter quod posuimus, a sacro corpore & sanguine domini nostri Iesu Christi sit suspensus.

Vt nullus episcopus vel presbyter ad celebrandum Missarum solennia cum baculo ire, aut velato capite altario Dei assistere praesumat. Cap. CCXXXI.

Ex decr. eiusdem, cap. 13. **V**T nullus episcopus, presbyter, aut diaconus ad celebrandum Missarum solennia praesumat cum baculo introire, aut velato capite altario Dei assistere, quod & apostolus Paulus prohibet viros velato capite orare in Ecclesia, & si temere praesumpserit, communione priuetur. *Ne corpora sanctorum transferantur de loco ad locum. Cap. CCXXXII.*

Ex concil. Mogunti. cap. 51. **D**einceps vero corpora sanctorum de loco ad locum nullus transferre praesumat, sine consilio principum vel episcoporum, sanctaeque synodi licentia.

Qui mortui in Ecclesia sepeliantur. Cap. CCXXXIII.

Ex eod. cap. 52. **N**ullus mortuus infra Ecclesiam sepeliatur, nisi episcopi, aut abbates, aut digni presbyteri, vel fideles, *Quod omnes fideles in Ecclesia nihil agere debeant, nisi orare. Cap. CCXXXIII.*

Ex concil. Turon. cap. 38. **S**acerdotes debent fideles admonere, ut quando ad Ecclesiam conueniunt, sine strepitu ac tumultu eam ingrediantur, in qua etiam quandiu in orationis causa morantur, nequaquam inanes inter se proferant confabulationes, sed tempore quo Missarum solennia celebrantur, solum ab ociosis & inutilibus verbis, verum etiam & a curiosis cogitationibus funditus abstinendum sit.